Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

in uirtute. Et hoc agitur in spiritu sancto id est in gratia spiritus sancti. ad rom.
Fratres. Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum.
his qui secundum propositum uocati sunt sancti. Et cetera. Illi diligunt deum qui
mandata eius custodiunt et seruant sicut dominus dicit: Si quis diligit me ser-
monem meum seruabit; hoc dicit quia diligentes deum et mandata eius ser-
uant, et qui secundum propositum id est secundum predestinationem omnipotentis dei ad hoc
uocati sunt ut sancte uiuendo sancti sint. Si quando aliquid inepte atque impie
contra suam utilitatem petunt sicut paulus apostolus et filii zebedei deus omnipotens
cooperatur illis in bonum aut non dando quod petunt aut etiam mutando
aliud pro ipso quod petunt. Cooperatur deus omnipotens implendo que ad salu-
tem illorum pertinent. Nam quos presciuit subauditur esse credituros et in
fide sua permansuros illos et predestinauit siue prefiniuit et ordi-
nauit conformes fieri imaginis filii eius id est similes fieri in gloria hu-
manitatis filii eius qui reformabat corpus humilitatis nostre confi-
guratum sicut alibi dicit apostolus configuratum corpori claritatis sue. Licet enim
in potentia diuinitatis sue non simus equales illi tamen in gloria et in
mortalitate et incorruptione erimus similes ei quoniam uidebimus
eum sicuti est. Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quamquam quidam
doctores dicunt dominum ihesum secundum diuinitatem primogenitum non esse
tam recte et unigenitus et primogenitus secundum diuinitatem potest dici.
Unigenitus est quia in natura diuinitatis non habet alios fratres. Primogenitus
quia ante omnem creaturam non factus sed genitus est sicut per salomonem dicit. Ego
sapientia ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.
Secundum humanitatem autem unigenitus quidem potest dici marie et primo-
genitus in multis fratribus adoptiuis quia ipse primus surrexit a mortuis.
primus ascendit ad celos. Isti sunt fratres de quibus ipse dixit ad mariam. Vade
ad fratres meos et dic eis. Fratres enim illius dicuntur omnes fideles in hoc
quia homo dignatus est fieri. Sed cuius quis frater noster est secundum carnem ipse dominus et
deus noster est secundum diuinitatem. Quos autem predestinauit siue pre fini-
uit secum regnaturos in eterna beatitudine hos uoca-
uit per se et apostolos suos uocauit quoque usque ad diem iudicii. Et
quos uocauit ut permanerent secum in gloria hos et uocauit per passi-
onem suam per baptismum et fide exornatam bonis operibus et iustifica-
uit usque ad finem seculi. Quos autem iustificauit illos et glorificauit.
Preterito tempore utitur apostolus in hoc loco pro futuro in hoc quod dicit glorifi-

vide apostolus alibi dicit

88